

& non se illo inferiorem agnoscat. Nam si Moy- ses, & Aaron ex Dei mandato faciunt signa, sic etiam ipse Pharaon vult ostendere, quod habet seruos, qui ex eius iussu similia signa valent edere. Rupertus lib. 8. in Apocal. Signa facientes, scilicet Magi, ait, confortabant regios animos ad non credendum, ad restituendum signis, ac Dei virtutibus, ut non minus potentes viderentur sibi, quam Deus erat. Vide supra cap. 16. num. 57. 58. 59. Quod autem omnia nostra sint Deo referenda. Vide verb. Gratias, in Indice hoc tom. 1. 2. ac 3.

13.

Tandem. Expende illud verbum Theophylacti: *Alios per hoc exinanimus.* Præ sua nimia confidentia, ac fastu bonum in se vident, & non in aliis, omnia sibi tribuunt, nihil aliis referunt. Postquam Laban inuenit Iacob in monte Galaad, qui proficiscebatur in Mesopotamiam. Ait ei Laban: *Filia mea, & filij, & omnia, quæ carnis mee sunt.* Genes. 31. num. 43. Quid dicis Laban? Nonne filias tuas tradidit Iacob in coniuges? Iure ergo matrimonij illius sunt. Ex Rachel, ac Lia, & duabus ancillis filios ipse suscepit, quis potest negare, quod filij sint sui patris? Ipsæque Iacob multo labore, gelu, æstu, ac industria, greges, quos vides, sibi comparauit. Quomodo ergo dicis, quod eius vxores, filios, ac omnia, quæ possidet, tua sint? Ita superbus de se præsumebat, ut etiam ea, quæ possessione, ac natura iure aliena extabant, sua diceret, omniâque sibi adscribebat, nihilque alteri referebat. Philo Hebræus lib. de Cherub: *Iste, scilicet Laban, ait, ad singulas voces illud meum accinens, non desinit de se ipso loqui magnifice.*

Genes. 31.

Præsumptuosus nihil in alijs videt, omnia sibi adscribit.

Philo.

Luc. 16. n. 11. Phariseus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

Num. 15. Ieiuno bis in Sabbato: decimas do omnium, quæ possideo.

VERSIONES.

Syriacus n. 11. Et ecce Perischaus stabat inter & animam suam; (secreto) & hæc precabatur. Deus gratias ago tibi, quod non sum sicut cæteri homines: rapaces, & iniurij, & mœchi, nec sicut iste Publicanus.

S. Optat. Mi-Gratias tibi Deus, quia nihil peccaui, & non habeo quod ignoscas.

Vatablus. Non sum quales cæteri homines: raptores, iniusti, adulteri: qualis etiam hic Publicanus.

S. Hilarius. Non sicut peccator iste Publicanus.

Syriacus n. 12. Sed ieiuno bis in hebdomade.

Arabicus. Ieiuno duobus diebus in omni hebdomada, & decimas do bonorum meorum.

Arias. Decimo omnia mea. Origenes. Decimas do de substantia mea.

EXPOSITIO II.

LIQUANDO Iudæi genuflexi orabant, aliquando in faciem proci- dentes; tamen, quia id non poterat esse continuum, præcipue cum longior esset oratio, sacrificium, vel Plalmodia, ideo solemnis mos erat, ut stantes orarent. Nec enim in templo illo veteri sedes erant ad sedendum, nisi soli Pontifici, ac Regi. Merito hic tamen notatur arrogantia Pharisei, qui stabat erecta facie, ac vultu, veluti disputaturus cum Deo de ratione suorum meritum. Bene D. Basilus Seleuc. orat. 35. Stabat, ait, oculis, ac ore obuersus, cum Deo sermocinabatur forte, & in nubes se rapuum iri prope modum spectabat, ut & in celo cum Deo colloqueretur. Ieiunabat, castè viuebat, & inter ipsa virtutum munimenta altissima loca ambibat. Hæc apud se orabat. Syriac. secretò, seu in animo suo. D. Basil. in catena D. Thom. notat, quod dicitur: *Apud se orabat, quasi non apud Deum.* Per superbium elationis supercilium, ad se ipsum redibat oratio, ac si Deum supplicare dedignatus esset; *Gratias tibi ago: laudo nempe te. Os videbatur Dei laudem sonare, & tamen totam laudem in se ipsum retorquebat.*

14.

Basil. Seleuc.

Syriac.

Inter virtutes altissima loca ambit.

Basil.

15.

August.

Theophyl.

Bonauent. 1. Ioan. 2.

Hilar.

Carthuf. Hago. Gillibert.

16.

Arabicus. Theophyl.

Arias.

Quia non sum sicut cæteri hominum, ac si diceret, ita donis, ac gratia sum communitus, ut non sim, sicut alij homines. D. August. ferm. 36. de verbis Domini: *Quid est, ait, sicut cæteri homines, nisi omnes præter ipsum, ego, inquit, iustus sum, cæteri peccatores.* Rectè notauit Theophylact. *Gratias habeo tibi, quia fecisti me abstinere ab iniustitia, & à rapina. Sed quomodo? Non sum; sibi ipsi attribuit bonum, & suo robori.* Pergit in sua oratione. *Raptores, Aliena vi rapientes, iniusti, fraude, & dolo contra omne ius aliena sectantes. Adulteri, turpiter luxuriantes, ut etiam ad vxoratas se extendant; & sub his tribus omnia vitiorum genera comprehendit, ut notat D. Bonaui. iuxta illud 1. Ioan. 2. num. 16. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est.* Ecce adulteri. *Et concupiscentia oculorum.* Ecce iniusti. *Et superbia vitæ.* Ecce raptores. *Velut etiam hic Publicanus, legit D. Hilar. Sicut peccator iste Publicanus.* Hæc dixit despectiue, ac illusoriè, de illo irridendo, ut notant Carthuf. Hugo, & alij. Vnde ait Gillibertus ferm. 33. *Pharisee non rogas, sed prope adstanti Publicano iniurias irrogas.* Phariseus temerè, ac falso iudicat Publicanum peccatorem, cum tamen ille esset penitens, & iustificatus; communitè homines iudicant pro eo quod fuisti, non verò pro his, quæ habes de præsentia. Vide supra cap. 18. num. 100. & 101. *Ieiuno bis in Sabbato.* Id est in hebdomade, à principali die tota hebdomada Sabbatum vocabatur. Vnde Arabicus habet: *Ieiuno duobus diebus in omni hebdomade.* Theophylactus affirmat, Phariseos ieiunare solitos feria secunda, & quinta, huius tamen rei nullum refert auctorem. *Decimas do omnium quæ possideo.* Arias: *Decimo omnia mea:* Ac si dicat, tam studiosus sum religionis, ac legis, ut non solum solum decimas fructuum terræ,*

Se iustum, & castum ostendit Pharisæus.

Theophyl.

teræ, ut lex præscribit, sed tantæ sum obseruantia, ut etiam præbeam decimas omnium mearum rerum, v.g. carniuum, ouorum ac piscium, ad quas lege non teneor. In his Phariseus se maximè laudat, alios enim homines notauit, ut rapaces, iniustos, adulteros, laudat se ipsum ieiunantem, in quo se ostendit castum; ieiunium enim marer est castitatis; laudat se etiam iustum, & alienum à rapina, cum dicit: *Do decimas omnium, quæ possideo.* Theophylactus? *Contra adulterium quidem, ait, gloriatur de ieiunio (à deliciis enim petulencia) contra rapinam verò, & iniustitiam proferi dationem decimarum omnium, quæ possidebat, tantum iniquus, contrarius sum rapine, & iniustitia, ut etiam, quæ mea sunt, expendam.*

QUESTIO III.

Quare Phariseus referens suas laudes damnatur: cum tamen Ezechias, Iobus, ac Zachæus in suis commendationibus approbentur?

17.

4. Reg. 20.

Euchirius.

Math. 9.

Chrysolog.

18.

1. Reg. 2.

1. Reg. 3.

Laus proprio ore vilescit, nisi ad Dei gloriam referatur. Cyprian.

D quaestionem. Phariseus iactat, & prædicat opera sua. *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Ezechias autem rex sic de se loquitur: *Obsecro Domine memento quæso quomodo ambulauerim coram te, in veritate, & corde perfecto.* 4. Regum 20. num. 3. Ecce vterque sua opera extollit; vterque sua facinora commendat, & tamen Phariseus datur repulsa, Ezechia autem præmium. Respondet Euchirius lib. 4. in lib. Regum; *Ecce Phariseus, ait, se iustificauit in opere; Ezechias iustum se asseruit etiam in cogitatione; atque vnde ille offendit, inde iste Domino placuit.* Cur itaque hoc nisi, quia Deus singulorum verba pensat, & in eius aure superba non sunt, quæ humili corde profertur. Phariseus ostentabat verba: *Non sum sicut cæteri homines, à corde inflato superba verba exibant.* At verò Ezechias non externum verborum nitorem, sed intimum cordis affectum diuinis representabat oculis, illud autem Deus aufcultat, idque ei maximè placet, quod interna cordis vox loquitur. *In veritate, & corde perfecto.* Et cum cordis intima perfecta consistunt, quidquid inde exterius prodit, maximè gratum est Deo. Mulier illa hæmorrhœissa, dicebat intra se: *Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Math. 9. num. 21. Quæ verba expendens D. Chrysologus ferm. 33. *Iam placitura apparebat, cui cordi erat fiducia in Deum.* Corde sollicitauit diuinam benignitatem, quidquid enim à corde perfecto, & humili exibat, valde pericundum erat diuino aspectui. *Secundò.* Laudat se sæpe Samuel in primo volumine Regum à se scripto, ut est communis sententia. Cap. 1. num. 26. *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus.* Cap. 3. num. 19. 20. *Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo. Et cognouit vniversus Israel à Dan vsque Bersabæe, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.* Samuel suas laudes decantans approbatur; Publicanus verò sui Epcomeastes reprobat? Iste totum ad vanam iactantiam ordinabat; ille verò ad vtilitatem proximorum, ac ad Dei gloriam omnia referebat. Vnde D. Cyprianus epistol. ad Donatum: *In proprias laudes, ait, odiosa iactatio est. Quamuis non Sylueira in Euang. Tom. IV.*

iactatum esse possit, sed gratum, quidquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur. Vide supra cap. 16. num. 84. 85.

Terriò. Beatissimus Iob plurimus est in laudibus suis decantandis cap. 29. num. 15. *Oculis sui cæco, & pes claudo, pauper eram pauperum, &c.* Similia videntur, quæ Phariseus hic de se iactat: *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Cur ergo Iobus absoluitur, condemnatur iste? D. Isidorus Pelusiotæ lib. 3. epist. 278. *Phariseus ille, ait, quia nemine concitante, & stimulante magnifica de se prædicabat, meriti in Dei offensionem incidit, siquidem superbie morbo laborabat. At qui in gloria, & splendore est virtutum, suas occultat; cum autem maledictis incestitur, ut illas criminaciones propulset, commemorat; quemadmodum clarus ille, atque omni laude præstantior Iobus fecit, ab omni culpa remotus est. Reprobatur Phariseus ventosa verba iactans, laborabat enim superbie morbo; at Iobus commendatur, cum laudes suas diuulget. Oculis sui cæco, pes claudo, &c.* Hoc enim faciebat, ut iusta munitione famæ suæ patrocinaretur. Iob obiecerant amici mala illa eum apprehendisse ob peccata sua. *Nuuo venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es; recordare obsecro, quis unquam innocens perijt?* cap. 4. num. 5. 7. Cum ergo amici tam dura in Iobum impingerent, tamque acriter illius fama impugnetur, meriti ipse in laudes suas prorumpit. Iustum, & rectum est, ut quis famæ, ac nomini suo consulat, illiisque calumniam propulset, eamque ab omni detractatione custodiat. Vt ait Ecclesiastes cap. 4. 1. num. 15. *Curam habe de bono nomine.* Vide multa de hac re hoc tomo 1. 2. ac 3. verb. *Fama, vel Nomen,* in Indice.

19. Iob 29.

Pelusiotæ.

Maximè curandū est de fama ac bono nomine. Iob 4.

Eccles. 41.

20.

Isidor.

Theophyl.

Quartò. Ad eandem difficultatem de Iobo. Respondet D. Isidorus citatus inter Patres in Catena Græca in Iob: *Diuinum, ait, suffragium Phariseum, qui nullius impulsu iustitiam suam vendidit, ac reliquos omnes condemnauit; explosi omnino. Iobum verò hunc necessitate adductum summa laudationis laurea, atque corona donauit.* Theophylactus relatus in Glossa ordinaria: *Condemnatus Phariseus, ait, talia negans nullo cogente. Iob verò prementibus se amicis, & dicentibus, quod propter peccata talia sit passus, compulsus est enumerare opera sua. Phariseus ex superbia nullo cogente, talia iactabat. At verò Iob, prementibus se amicis. Eumque tanquam iniquum publicantibus, necessitate compulsus suam innocentiam, ac sinceritatem declarat, & manifestat. Iobum verò hunc necessitate adductum, summa laudationis laurea, atque corona donauit.* Ex quo conice quot, ac quantis variis casibus exposita sit prudentia humana, ut illud, quod in hoc euentu est laudabile, in alio sit vituperio dignum; ex hoc nascitur, ut virtus, quæ affectat se se occultari, aliquando tamen ex occasione occurrente, ac circumstantia interueniente necessarium habet, ut in publicum, ac manifestationem exeat.

Scribens Paulus ad Corinth. enarransque illis suam conuersionem, ac raptum in caelum, ait illis: *Raptus est in Paradisum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* 2. Corinth. 12. num. 4. Idemmet Apostolus scribens ad Galat. 1. num. 11. ait: *Notum vobis facio, fratres, euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* Reuelatio verò, per quam acceptum dicitur euangelium,

21.

2. Cor. 12.

Ad Galat. 1.

quam fuerit, explicatur à D.Thoma ibidem. *Hæc autem reuelatio, ait, facta fuit Apostolo, cum raptus fuit in paradysum, ubi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Imò, vt docent D. Thomas, Lyranus, & alij, Apostolus magnis, ac profundis rationibus comprobatur doctrinam à se traditam non esse suam, sed per reuelationem in suo raptu à Christo Iesu communicatam. Nonne magne Doctor gentium asseris te audisse secreta, ac arcana, quæ non licent homini loqui. Quomodo ergo ea dicis, prædicas, ac edoces? Illa alta, & sublimia mysteria, non licebant euulgari, quando necessitas non aderat; at verò cum illa vrget, & homines nolunt Pauli doctrinæ acquiescere, ac si non esset à Deo data, sed ab homine inuenta; tunc ipse alto, & aperto ore publicat, & testificatur doctrinam non esse suam, sed immediatè à Deo datam, & acceptam; cum necessitas aberat, non erat licitum, at verò cum ipsa interuenit, statim abscondita arcana ab Angelo manifestantur, vt omnis dubitandi ratio excludatur. Patrocinator D. Ambrosius, *Vult manifestare, ait, quia ea, quæ docebat, non ab homine didicerat, ne forte dubitarentur de ijs, quæ docebat.*

D. Thom. Lyran.

Virtus occultanda, nisi necessitas possit, vt manifestetur.

Ambros.

22. Apoc. 12.

Bernard.

Vera virtus in prosperis absconditur, in aduersis manifestatur.

QUESTIO IV.

Quare Phariseus tantum errat, vt se solum iudicet?

23. Bernard.

**D**ivs Bernardus de gradibus humilitatis, ait: *Gratias Deo agit Phariseus, non quia bonus, sed quia solus.* Reprobis animus non considerabat bonitatem, sed singularitatem; non æstimabat in se virtutes, quæ in alijs videbantur, non patiebatur, alios esse sui similes in diuinis donis, hoc solum referebat acceptum Deo, quod ipse esset solus; totum in se pensabat, nihil in alijs considerans. Cum audit Aman regem interrogantem, quomodo nempe sublimandus sit vir quem Rex honorari desiderat. Tunc inquit textus: *Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans, quod nullum alium Rex nisi se vellet honorari,* Esther 6. num. 6. Ita superbissimus erat homo, vt nullum

Esther 6.

alium iudicaret honorandum, nisi se solum. Lyranus: *Quia, ait, modus superbi est astinare, quod nullus nisi ipse debeat honorari.* Ita fastu rapiebatur, vt omnes alios honore indignos reputaret. Deinde etiam luculenter præfata verba commentatur Iosephus lib. 11. Antiquit. cap. 6. *Tum Aman, ait, cogitans quamcumque sententiam protulisset, in rem suam fore, quod ipse præ cæteris Regi charus esset.* Tanta vanitate erat inflatus, vt quidquid gloriosum audiebat, totum in laudem suam retorquebat. *Cogitans quamcumque sententiam protulerit, in rem suam fore.*

Lyran.

Ioseph. Quidquid laudis audiebat, totum sibi referebat.

Gratiter aberrat Phariseus cum se iudicat singularem, non sum sicut cæteri homines, & nullum se habere æqualem dicit. Magnus Parens Elias magnarum virtutum operator, mortuos suscitatur, claudit, & aperit cælum, dono prophetiæ eminet, & qui in pronuntiandis omnibus verax erat, cum tamen se iudicat solum. *Relictus sum ego solus,* 3. Regum cap. 19 num. 10. Rabbatus: *Humilis, ait, etiam occulta Dei nouerat, elatus etiam aperta nesciebat.* Vnde ei dictum est à Deo: *Reliqui tibi septem millia virorum.*

24. Qui se solum existimat, caligat.

3. Reg. 19. Rabbat.

Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, Psalm. 48. num. 13. Homo, nempe Adam, vt est communis sententia cum in honore esset fuerat iustitiæ originalis, ac principatus omnium rerum; non intellexit suam similitudinem, vt explicat D. Hieronymus, esse secundam Dei faciem, sed Dei singularitatem appetiuit. *Quid inde factum est? Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Vbi singularitatem appetiuit, comparatus est iumentis.

25. Plalm. 48.

Hieron. Qui se solum iudicat, insipientis.

Cum Lucifer seditione facta vult spiritus Angelicos commouere contra Deum, ait: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedeo in monte testamenti in lateribus Aquilonis,* Isai. 14. num. 13. Lucifer multa scientia præditus erat, tamen seditionem inter spiritus Angelicos nescit excitare, debet enim dicere, *Eia principes cælestes in cælum conscendam, super astra Dei exaltemus solium nostrum, & sedeamus in monte testamenti;* at verò solum de se agit. *In cælum conscendam, exaltabo, sedeo.* D. Bernard. ferm. 3. in Isaiam: *Qui sedere presumpsit, se solo voluit esse contentus.* Lucifer in maximum errorem incidit, vt Deum esse appetiuerit, inde ex consequentia infallibili in alium magnum errorem prolapsus est, vt se esse solum cogitauerit, sibi que tantum cathedram, ac domicilium elegit; tam ingens error est esse solum, vt tantum sit annexa consequentia supremi, ac summi erroris Diuinitatem ambientis. Deus tantum vnus solus est; cætera verò non sunt singularia, dantur duo luminaria magna, multæ stellæ, multique cæli multaque elementa, & sic de cæteris, vt facile est discurre.

26. Isai. 14.

Bernard.

Summus error, quod quilibet se esse solum iudicet.

QUESTIO V.

Quare Phariseus cum se laudat, maculas, ac notas in alijs impingit?

**A**LDE superbas stat Phariseus, & calumnias in omnes molitur. D. Basilius Seleucus orat. 35. *Non sic olim, ait, ad Deum loquebatur progenitor tuus Abraham, vel potius publicani progenitor; nam sibi Abraham genus publicani mores adiungunt.*

27.

Basil. Seleuc.

Mores delectat filios suorum parentum,

ad iungunt. Non natura, sed mores, ac virtutes pariunt filios, licet enim Phariseus, & Publicanus essent filij Abrahæ, tamen Phariseus ab ipso degenerauerat, vt filius illius non reputaretur, sed tantum Publicanus, qui illius humilitatem sectatus erat, qui dicebat, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis.

28. Bernard.

Qui se ipsum non considerat, alios iniquos iudicat.

Ad questionem. Respondet primò, D. Bernard. tract. de gradibus humilitatis? *Dicebat, ait, Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri. Dum in se singulariter exultat, alijs arroganter insultat. Nondum de suo trabem eiecerat, & festucas in oculis fratrum enumerat. Dum trabem caliginosam ignorantia retines in oculis, qua interiora tua non consideras, nec errores tuos vides, & ponderas, sed totus à te alienus in defectus proximorum scrutandos incumbis, inde te probum, & rectum existimas, cum sis valde iniquus, & peruersus, & inde non ex aliorum iniustitia, sed ex sua iniquitate, alios malos, ac damnabiles iudicat.*

29. Basil. Sel.

Secundò, D. Basilius Seleucus orat. 35. *Bellum sane, ait, gratiarum actionis exordium, mundi criminatio, & index, & mortis sententiam in omnes ferens, non sicut cæteri: O linguam tyrannicam! se omnium loco statuit, & omnes partis alicuius, aut reliquarum numero habet: Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri; Deo approbaturus intonuit: non habes iustum alterum in terra: ego tibi solus virtutum thesaurus, deserta sit à iustitia terra, nisi hanc ego calcarem.* Phariseus in exordio verborum gratitudinis virtutem ostentat: *gratias tibi ago;* & tamen sub illius prætextu bellum, ac criminationem sub infert, non solum tyrannica lingua homines criminatur, sed etiam ipsum Deum omnium auctorem, qui omnes à virtutibus deseruit, vt omnium virtutes in hoc vno collocaret, imò terra à iustitia deserta esset, nisi ipse sub terra viueret. *Ego tibi solus virtutum thesaurus, deserta sit à iustitia terra, nisi hanc ego calcarem.* Confideta quanta amentia super se extollitur.

30. Zeno.

Lingua omnes iniuriat.

Tertiò, Dicebat: *Non sum sicut cæteri homines, raptores, adulteri.* D. Zeno in Psalm. 130. *Lingua intonat, caretq, nunquam veneno serpentis.* Lingua loquitur Phariseus, ac proinde nescit ipsa nemini parcere, sed omnes iniuriare, ac offendere; in omnesque serpentis venenum effundere: cum ipse loquatur, in omnes malignè inuehitur.

31.

Se iustificat alios maculando.

Quartò, Phariseus in templo vult se sanctum, ac purum ostentare, quid ei primum venit in mentem? mille defectus in alios coniciere. *Non sum sicut cæteri homines, raptores, adulteri, & homicidæ.* Hæc est iniquorum conditio, vt ex aliorum vitio velint suam probitatem declarare, ac cum multis maculis alios deturpant, se iustificatos reputant. *Ait Isaias 57. num. 20. Impij quasi mare feruens.* Cur mari æstuantem comparatur impius? Mare cum commouetur, expurgatur; emunditias tamen à se dimittit, & in litora vicina coniecit, sic & iniquus hanc viam sequitur vt se expurgatum, ac rectum ostendat totam macularum turpitudinem in alios impingere satagit; in hocque impius assimilatur feruenti mari. Frater senior vt se patri obedientem ostendat, nunquam mandatum suum præterit, statim iunior detrahit, eumque multis criminibus fœdare intendit. *Filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus,* Luc. 15. n. 30. D. Hieron. epist. 146. ad Damas. *Oro te, ait, nome tibi videtur ea, quæ ille de Publicano dixerat, dicere iste de fratre? Hic est, qui comedit omnem substantiam suam vinens cum meretricibus.*

Luc. 15.

Hieron.

Postquam primi parentes peccarunt: *Consueverunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata,* Genes. 3. num. 7. Cur ficorum folia ad vestimenta eligunt, cum aliarum arborum folia viderentur aptiora; extant enim aliqua maiora, & omnia ferè leniora? Tertullianus lib. de Pudicit. cap. 6. *Adhuc, ait, in Adam, caro scilicet, deputabatur cum suo vitio: de ficulneis folijs pruriginem retinens.* Ficorum folia aspera, & ad lasciuam ob eorum humorem calidum prouocant; eis ergo post suum peccatum induitur Adam, vt videns quilibet eius appetitum inordinatum motum, sibi persuaderet, huiusmodi incompositionem non ab aliquo peccato, sed ab humore calido, ac ab eorum prurigne in corpus transmissio provenire, sicque appetitum inordinatio non ad protoparentem, sed ad folia referretur.

32. Genes. 3.

Tertull.

Defectus in alijs retorqueret.

QUESTIO VI.

Quare Phariseus tam acriter pungit Publicanum, maxime se extollens?

**D**ivs Chrysoctomus in Catena, sic ait: *Non satiauerat contemptum eius tota humana natura, sed & Publicanum aggressus est.* Non solum Phariseus omnes contempserat, omnesque criminauerat; in hisque Publicanus inuoluebatur, ad quid peculiariter eum corrodit, *velut etiam hic Publicanus.* Sunt homines aded perniciosi, qui non solum alios calumniantur; sed si peculiariter aliquis eorum oculis obicitur, eisque in mentem veniunt, statim serpentino ore in eos inuehant, superque illos omnia malorum venena diffundunt, ita vt tui honoris custodia sit illorum obliuio, & tandiu tua fama non periclitatur, quandiu ab illorum memoria excidit. Vidit Doeg Idumæus Dauid apud Nobe, 1. Regum 21. num. 7. statim detractoriè eum accusauit apud Saul. 1. Regum 22. num. 9. multaque mala exinde secuta sunt, vt Saul crudeliter Dauidem persequeretur, & mors Sacerdotibus esset illata, quæ omnia euitarentur, si Dauid oculis Doeg non fuisset obiectus.

33. Chrysoct.

Vt detractorem fugias, fuge ab oculis iniquorum.

Ad questionem comparisonem facit D. Bernardus tract. de gradibus humilitatis inter hunc Phariseum, & Dauidem, Psalm. 115. num. 11. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Phariseus è contra ait: *Non sum sicut cæteri homines, iniusti, raptores, &c.* sic ait D. Bernardus: *Dauid ait, omnis homo mendax, neminem excipit, ne quem decipiat, sciens, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Phariseus se solum decipit, quem solum excipit, damnosos damnat. Ecce Dauid, & Phariseus vias peccatorum contemplantur. Dauid se inter mendaces annumerat; Phariseus autem se alienum ab omni mendacij, ac iniustitiæ cœtu se agnoscit. Et cur Dauid inter mendaces, Phariseus verò ab illis segregatum se fatetur? Sanctior ille Dauid? Minimè, sed superior? Dauidem sua humilitas illuminauerat, Phariseum verò sua superbia obcæcabat; ideò ille non fallitur, hic verò non considerans, maxime: *Phariseus se solum decipit, quem solum excipit, dum cæteros damnat.* Dauid cum fugit superbiam, fugit deceptionem; superbus verò Phariseus cum se solitatum credit, multum aberrat, ac à veritate deuiat. Qui magna, & alta de se præsumit, multa ignorantia laborat.

34. Bernard.

Psalm. 115.

Superbia obcæcat, humilitas illuminat.

Qui fugit superbiam, fugit deceptionem.